

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Adami Rechenbergi Consensus Orthodoxus Cum Verbo  
Dei, libris Symbolicis & probatissimis Theologis gnēsiōs  
Lutheranis, inprimis Saxonis antiquis, De Gratiae  
Divinae Termino, oppositus Malevolorum ...**

**Rechenberg, Adam**

**Lipsiae, 1701**

Animadversio

**urn:nbn:de:bsz:31-105727**

Theologus Wittebergensis D. *Lyserus in System.* p. 681. & D. *Gerhardus Loc. de Provid.* §. 84. docent.

QUÆST. XI.

*Utrum Christus Matth. XI, 28. gratiam suam omnibus simpliciter promittat, an vero iis tantum, qui sentiunt onus peccati, & eo cupiunt levari?*

Respondet, vel calumniatur potius *Compiler: Affirmat cum Reformatis ultimum membrum D. Rechenberg contra Krakewiz.* p. 57.

Animadversio:

**S**I *Compiler* locum *Matth. XI, 28.* cum antecedentibus vers. 21. 22. 23. 24. 25. collatum inspexisset, textusque connexionem intellexisset, vel Paraphrasin Bibliorum Vinariensium, quam in *Additam. III. pag. 58.* cum qua ego locutus sum, attendisset, vel B. D. *Gerhardi Loc. de Election.* §. 187. evolvisset, forte hac impudenti cavillatione abstinuisset. *Gerhardus* enim agi ibi de consequente seu judiciaria DEI voluntate colligit: Patrem per Filium, mysteria Evangelii proposuisse etiam Phariseis & reliquis. Sed quia illi magis dilexerint tenebras, quam lucem, *Joh. III, 19.* quia spreverint consilium DEI adversus semetipsos, *Luc. VII, 30.* quia præ opinione sapientiæ propriæ stultam Evangelii prædicationem contempserint, *1. Cor. I, 21.* ideo Deum justo judicio contemptum illum vindicantem abscondisse ipsis sua mysteria &c. Quare v. 28. sua invitatione tales induratos contentores gratiæ non amplius dignatur; sed conversus ad spiritualiter oneratos publicanos, notoriis flagitiis quidem ante infames, nunc vero Evangelium amplexos, de quibus v. 5. & similibus peccatoribus dixerat, quod pauperes letum accipiant Evangelium, quos & pusillum gregem vocat, quibus Pater ve-



lit dare regnum, Luc. XII, 32. Si vero *Compileri* Gerhardi auctoritas non probatur, D. *Agid. Hunnii* expositionem, quam de *Prædestin. Quæst. & Respons.* p. 230. in hunc locum adfert Calvinianos confutaturus, admittere tenetur: *Repetenda hic est, inquit, distinctio voluntatis antecedentis Dei, & consequentis. Voluntate antecedente, quam misericordia esse diximus, vult omnibus absq. exceptione hominibus innotescere doctrinam Evangelii: quia vult, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant, 1. Tim. II. At quando sapientes hujus mundi aspernantur & repudiant sapientiam Dei in Evangelio propositam, ibi voluntate consequente, quæ justitia est, VULT, ut porro eis absconditum maneat Evangelium de Christo, ad puniendum impium hunc contemptum, tantitangq. divini beneficii. Quis vero negarit inter hos etiam invitatos adhuc fuisse reprobos? Manifesta ergo calumnia est, quando *Compiler* oggannit, nec hic cum *Reformatis* sensisse, quorum sententiam de particulari gratia toties negavi. Caterum vero simul inspecta D. *Chemnitii Harmonia Evangel.* cap. LVI. fol. 964. 965. quam iste falso allegavit, adparet, ipsum quoque abs *Hunnii & Gerhardi*, quæ & mea est, sententia non dissensisse. Quando enim ille in h. l. scribit: omnes sine exceptione hoc modo compellat, invitatur & hortatur: & ne de meritis aut dignitate disputemus, nominat **LABORANTES ET ONERATOS** &c. objectum illud universale determinari ex ordine sapientissime a Deo constituto docet; ita tamen, ut nullum *laborantem, & oneratum* anxium & salutis æternæ cupidum peccatorem, a promissa gratia exclusum velit.*

## QUÆST. XII.

*Utrum pia & certissima ad profligandam securitatem via sit, si dicas, Deum in hac vita gratiæ ostium multis sic occludere, ut prorsus nulla venia, aut misericordiæ divinæ recuperandæ spes supersit?*

Respon-